



Catalogus digest.

I. J. Semler.

1. Obss. super 2 Timoth. II. et III.
2. Sessionis VI Concilii Trident. exemplum.
3. De Regeneratione monastica.
4. de professantia theol. academica pro se dicta biblica.
5. de infelicitate hominum presenti.
6. de Christi ad Abgarum epistola.
7. de imagine divina in humana ipsi natura.
8. de mysticarum interpretationum studio.
9. Antiquitatum Heremeticarum et Tertull. specul.
10. de tempore quo scripta fuerit epistola Pauli ad Galatas.
11. Baptizatos facisse, de quibus agitur Act. XIX. 5
12. de propagata per Nonifacium inter Germanos ref. christi.
13. de discrimine notionum vulgarium et christianarum in libris N. T. observandis.
14. In Math. I. 17.
15. de cavenda molesta sedulitate sacra.
16. In Luc. I. Gabrielem spir. s. non esse.
17. Jesum Christum esse Paulo auctore verum Deum et verum hominem. dist. II.
18. Illustratio antiqui carminis ex evangelio Hebraeorum.
19. de vario et impari veterum studio in recolen. da historia descensus ad inferos.
20. spiritum s. recte describi personam.
21. de Des noborov et evangelio Hebraeorum.
22. de discrimine inter sapientes et iniquos.

II. J. A. Neigfeldt.

23. Singularis providentiae divinae in pace religionis vestigia.
24. de discernenda propria et tropica dictione.
25. de Calenis patrum graecorum in nouum.
26. in 1 Joh. II. 20 et 27.
27. intell. canonis anglicae Luc. II. 4.
28. de Christo homine regnante.
29. Deum auctoritatem divinam religionis christi. confirmare sequi maioribus legitatione sinaitica.
30. ad Heb. II. II.
31. in 2 Cor. II. 17.
32. ad Rom. XXIII. 17.
33. in Joh. II. 20-23.
34. de vera vi nominis feliciorum deo.
35. In 2 Thessal. II. 1-12.
36. In Act. XI. 1-17.
37. In Joh. XI. 13-17.
38. Obss. in No. Regis unig. N. 31. - 76. p. 78. Quod est 2 Cor. II. 6.

N. 129.

30

SACRA NATALITIA  
DOMINI NOSTRI  
IESV CHRISTI  
RELIGIOSE CELEBRANDA  
FRIDERICIANAE PRORECTOR  
D. IOANNES AVGVSTVS NOESSELT  
S. THEOLOGIAE P. P. O.  
VNA CVM  
DIRECTORE ET SENATV  
ACADEMIAE CIVIBVS  
INDICIT.

---

*Praemittitur de Eo, qui sanctificat, illisque, qui sanctificantur, ab uno  
omnibus, ad Hebr. II, 11., dissertatio.*

---

HALAE AD SALAM  
TYPIS I. C. HENDEL  
MDCCLXXIII.



Solemnitatem dierum, quibus memoria natiuitatis Iesu Christi, seruato-  
ris nostri optimi maximi, in ecclesia recolitur, more maiorum indicturi, aposto-  
li verba Vobis, Ciues Humanissimi, meditanda proponimus, scribentis ad He-  
braeos suos II, 11, 12. Ὁ, τε γὰρ ἀγιάζων καὶ οἱ ἀγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάν-  
τες. Δι' ἣν αἰτίαν ἐν ἐπαισχύνεται ἀδελφοί: αὐτὲς καλεῖν, λέγων. Ἀπαγγε-  
λῶ τὸ ἐνομά σε τοῖς ἀδελφοῖς μου, ἐν μέσῳ ἐκκλησίας ὑμῶν σε. Interpreta-  
mur: „Nimirum et qui sanctificat, et qui sanctificantur, ab vno omnes sunt.  
„Qua de causa neque erubescit fratres appellare eos, dicens: Commemorabo  
„gloriam tuam apud fratres meos: palam in ecclesia celebrabo te.“  
Illud *Nimirum* ad superius dicta nos ablegat. Indicio enim est, eorum,  
quae proxime antecesserant, siue declarationem, siue probationem aliquam in  
oratione iam sequi. Monuerat diuinus Epistolae illius scriptor segmento supe-  
riore 10; „deciuisse eum, a quo *a*) sint omnia, et in cuius potestate *b*) sint  
„omnia, vbi voluerit filios multos beatos facere, *c*) auctorem salutis eorum *d*)  
„post

- a*) δι' ἐν vertitur a quo. Nam Graecum διὰ respondet h. l. Hebraeorum כִּי. Vide Ies. L, 11.  
*b*) δι' ἔ τὰ πάντα, in cuius potestate sunt omnia. Praepositio διὰ enim h. l. idem valet, quod apud Hebraeos כִּי, Exod. XXXVIII, 21. Numer. IV, 28. cum annot. Io. Clerici. Planum autem est, per eum, a quo sunt omnia, et in cuius potestate sunt omnia, deum significari.  
*c*) πολλὰς χάρις εἰς δόξαν ἀγαθόντα. Vertunt δόξαν gloriam. Sed eam in sententiam, quae h. l. obinet, Latini non vtuntur sua voce gloria. Oī ὁ Hebraicum כִּי interpretantur δόξαν, etsi significatio et vsus vocis Graecae non satis respondet vi vocis Hebraicae. Nam כִּי est a כָּבֹד, grauis fuit. Et כָּבֹד ipsi oī ὁ vertunt πλοῦσιον, Gen. XIII, 2. Et Gen. XXXI. 1. כִּי aperte opes siue diuitias significat: etsi ibi oī ὁ δόξαν interpretati sint. Sed Ies. LXI, 6. ἐν τῷ πλοῦτι αὐτῶν, vbi Hebraice legitur כִּי. Nostro in loco sine dubio affluentia bonorum omnium significatur; quam Latini vno nomine beatitudinem dicant. Opponitur autem δόξα τοῖς πειθήμοις non in Iesu Christo solum, Luc. XXIV, 26.; sed in hominibus etiam, qui fidem Christo habent, atque obsequium praestant, Rom. VIII, 17.  
*d*) τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας αὐτῶν, principem, auctorem salutis eorum, מְשִׁיחַ מִיְשׁוּעָה Mich. I, 13. מְשִׁיחַ הַיְשׁוּעָה, oī ὁ ἀρχηγὸς ἀμαρτίας. Similiter Cyrill Hierosol. p. m. 21. ed. Oxon. Tho. Milles, diabolum ἀρχηγὸν τῆς ἀμαρτίας nominat.

„post sensum rerum aduersarum in statu amplissimo et felicissimo collocare e). „  
Iam, vt declarat, quare decuerit deum, quo filios multos beatos faceret, aucto-  
rem salutis ipsorum *post perpeffionem dolorum* in statu amplissimo ac felicissimo  
collocare, addit rationem: „Nimirum et qui sanctificat, et qui sanctificantur, ab  
vno, omnes sunt. Qua de causa neque erubescit fratres appellare eos. „ Fa-  
temur rationem hanc non ex omni parte patere, atque apertam esse: neque tamen  
adeo recondita esse abstrusaque videtur; vt cogitatione nulla indagari, et erui  
possit. Sed experiamur, quantum bono cum deo lucis afferre loco obscurioris  
interpretando valeamus.

Ordiamur a declaratione *vnus*, a quo esse scriptor epistolae dicit tam  
eum, qui sanctificet, quam illos, qui sanctificentur. Hunc eum esse, cuius  
paullo superius mentionem fecerat, „eum, a quo sunt omnia, et in cuius pote-  
state sunt omnia, qui filios multos vult beatos facere, „ *deum* scilicet, series  
orationis suadet; et res ipsa, quod ex sequentibus magis manifestum fiet, omni-  
no requirit. Non sunt audiendi igitur interpretes, qui aut de *Adamo*, commu-  
ni generis nostri parente, cogitare nos hic iubent; aut respici *Abrahamum* opi-  
nantur. Omnium autem minime; qui volunt ad ritum legalem alludi, analo-  
giamque ostendi inter typum et veritatem: eiusdem naturae fuisse in V. T. et  
primitias cum reliquis fructibus, et Pontificem cum populo; ita Christum cum  
fidelibus. Haec enim plane aliena ab hoc loco esse, nemo non sentit; qui co-  
gitare velit, neque ob causam eam posse a Christo fratres dici homines, per  
ipsum sanctificatos; et ipsam grammaticam interpretandi rationem eius generis  
commenta omnino respuere f). *Abrahamum* autem et *Adamum* non solum  
orationis series resque ipsa, vt supra iam admonuimus, sed loquendi vsus etiam  
scripturae sacrae excludit: quae Christum nusquam fratrem credentium appel-  
lat; quod vtrique ab vno Abrahamo, aut Adamo genus ducant. Inde vero,  
quod Christus, qui sanctificat, et ii, qui sanctificantur, ab vno sunt, vt auctor  
Epi-

A 2

e) Ita interpretatus sum Graeca, διὰ παθημάτων τελειώσαι. Neque enim aliud  
vult auctor noster; quam quod dicit Christus ipse de se *Luc. XXIV, 26.* Οὐχὶ  
ταῦτα ἔδει παθεῖν τὸν Χριστὸν, καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ. Et  
auctor noster superius, *Seqm. 9.* Βλέπομεν τὸν Ἰησοῦν διὰ τὸ πάθημα τὸ θά-  
νατον δόξῃ καὶ τιμῇ ἐσσηφανωμένον. Interius autem, *V, 9.* Iesu Christo, ὡς ἐπα-  
θεῖν, aperte opponitur ὁ τελειωθείς; et *VII, 28.* Ἀρχιερεῦσι, ἔρχεαι ἀσθε-  
νεῖαι, opponitur υἱός, εἰς αἰὼνα τετελειωμένος. Vbi ἀσθένεια afflictionem,  
*dolorem*, denotat: vt supra, *IV, 15.* Ἀσθένεια, אַפְרַיִם, *dolor*, *Is. XVI, 4.*  
ἀσθενής, אַפְרַיִם, *afflictus*, *Iob. XXXVI, 15.* *Prov. XXII, 22.* XXX, 14. item  
אֶבְרָהָם, *filius afflictionis*, *Prov. XXXI, 5.*

f) Tale enim quid verba Graeca, ἐξ ἑνὸς πάντες, significare non possunt.

Epistolae ad Hebraeos loco, de quo quaerimus, loquitur; *primogenitus* ille dicitur *inter fratres multos*, *πρωτότοκος ἐν τοῖς ἀδελφοῖς*, Rom. VIII, 29. et *primogenitus creaturae nouae omnis*, *πρωτότοκος πᾶσης κτίσεως*, Coloss. I, 15. item *primogenitus*, *πρωτότοκος*, simpliciter, Hebr. I, 6. de quibus locis plura dicendi occasio in sequentibus erit.

„Ille igitur, qui sanctificat, et qui sanctificantur, *ab vno omnes sunt*; „ quia omnes ex deo nati sunt: eamque ob causam is, qui sanctificat, „non erubescit eos, qui sanctificantur, *fratres* appellare. „ Nam in verbis Graecis, *ἐξ ἑνὸς πόντος*, subaudiri vocem *ἐἶναι*; atque *ab vno omnes sunt*, idem valere, quod, *vnus omnes filii sunt*, planum omnino fit ex 1 Ioan. III, 8. 10.: *ὁ ποιῶν τὴν ἀμαρτίαν, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστίν.* — *Ἐν τῷ πρώτῳ φωνηθῆναι ἐστὶ τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ, καὶ τὰ τέκνα τοῦ διαβόλου.* *πᾶς ὁ μὴ ποιῶν δικαιοσύνην, ἐκ ἐστίν ἐκ τοῦ θεοῦ.* Itaque *a deo esse*, et *dei filium esse*, non differre apparet. Superest, vt discquiramus, quam in sententiam, qui sanctificat, et qui sanctificantur, omnes a deo, et filii dei sint.

Hoc autem ante, quam fiat, putamus nobis probandum esse, quod in superioribus pro certo sumimus, *eum, qui sanctificat*, Iesum Christum intelligi. Illud vero docere nos poterunt, si animam aduertere velimus, tam ea, quae verba, de quibus disputamus, antecedunt; quam illa, quae paulo inferius sequuntur. Superius, *segm. 10.* occurrit *auctor salutis filiorum dei multorum*; quem Iesum Christum esse dubio caret. Hunc porro Iesum Christum fieri auctorem salutis filiorum dei sanctificando eos, mox videbimus. Vt ita cum, *qui sanctificat, eosque, qui sanctificantur, fratres appellare non erubescit*, Iesum Christum esse, prorsus nequeat obscurem videri. Inferius porro, *segm. 17.* dicitur Iesus Christus, „debuisset per omnia fratrum suorum similis esse; „quo esset gratiosus et fidus sacerdos summus in omnibus, quae deus mandauerit ipsi ad expiandas iniquitates populi. „ Probabimus autem suo loco *expiare iniquitates populi* idem esse, quod *populum sanctificare*.

Iam igitur si quaeramus; quam in sententiam Christus, qui sanctificat, atque illi, qui sanctificantur, ab vno omnes, siue filii dei omnes sint: tenendum est, esse a deo, et dici filios dei omnes propter generationem; qua regenerantur ex deo ad vitam aeternam: tamen modo non eodem plane, ac homines sanctificatos caeteros, esse a deo Iesum Christum, et filium dei dici. Iesus Christus enim a deo, et filius dei est; quod non solum, vt constitutus a deo Pontifex Maximus et Seruator hominum, purus et integer a naturae labe, quam parentes generis nostri peccando contraxerunt, ad posterosque omnes, tamquam morbum aliquem haereditarium, propagarunt, miraculose per omnipotentiam Spiritus Sancti e virgine, virum non experta, natus est; sed quod

quod ipse etiam deus *realiter* se cum illo univit. Qua ex natiuitate, atque vnione dei eminentissime sanctificatus est; vt ipse iam sanctificare possit, qui credere illi, atque per ipsum fieri filii dei velint. Homines caeteri omnes nascuntur cum natura vitata, et quasi morbosa: qui, si velint filii dei fieri, debent iterum generari a deo, et sanctificari per Iesum Christum, fratrem et Pontificem suum; quo deus vnire se cum ipsis possit *moraliter*. Iesus Christus *porro*, vt filius dei primogenitus, et auctor salutis fratrum suorum, genitus a deo et euectus est ad beatitudinem et gloriam summam; ad quam ascendere homo nullus potest. Fratres Iesu Christi geniti a deo sunt ad beatitudinem, non quidem per omnia eandem plane; sed similem tamen: ad quam per hunc fratrem suum perueniunt. *Denique* deus Iesum Christum, aequae, ac fratribus eius facit, ad statum illum beatissimum et gloriosissimum transtulit post perfectionem malorum physicorum multorum. Sed Christus mala, quae, deo ita iubente, perpeffus est maxima, pertulit omnia fratrum suorum gratia. Fratres Christi vult deus mala physica perpetui, atque malis illis castigari; quo, fiducia Christi armati, ita perferre discant, vt sanctificari, siue corrigi se iis magis magisque patiantur. Verum dicenda haec sunt distinctius; clarissimisque scripturae sacrae testimoniis comprobanda.

Quae autem dici apertius possunt, quam quae *Hebr. V, 4. 5.* legimus: „Nemo ipse sibi sumit Pontificatus honorem: verum designatus a deo, „vti etiam Aaron. Similiter Christus quoque non ipse se sublimauit (*εαυτον* „*εδοξασε*, *□□□□*) sumendo Pontificatum; sed ille, qui dixit ad eum: tu es „filius meus; ego hodie genui te. „ Non moramur eos, qui locum *Pf. II, 7,* vnde verba haec postrema petita sunt, ad generationem aliquam ab aeterno *τῶ λόγων* ex essentia dei patris rapiunt, non solum inuito auctore *Θεοπροβότω* Epistolae ad Hebraeos; sed contradicente *Paullo* etiam, apostolo Iesu Christi, qui *Act. XIII, 32. 33.* „Nos vero, ait, nunciamus vobis deum, quod fecerat „patribus, promissum repraesentasse filiis eorum, sistentem (*ἐπιστήσαν*, *□□□□*) „nobis Iesum. Quam sane in sententiam scriptum in Psalmo secundo est: Tu „es filius meus; ego hodie genui te. *g)* „ Planum est *Paullum* non minus, quam

*g)* Interpretatio loci *Pf. II, 7,* quae, etsi *Paullo* et auctori *Ep. ad Hebr.*, viris *θεοπροβότω* omnino contraria sit, tamen hodie pro vnice orthodoxa haberi vulgo solet, *Origene* antiquior non est. Ille quidem, *Commentar. in Ioan. p. m. 30 sq.* Tom. II. ed. Huet. Paris. „Attamen, scribit, nec his omnibus manifeste „Filius nobilitas declaratur, sed tum, cum: *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* „dicitur ad illum a deo, cui semper est hodie, neque enim est vespere dei, neque mane, meo quidem iudicio, sed tempus (vt ita dicam) simul se extendens „cum illa ipsius ingenita, et sempiterna vita ipsi dies est hodie, in qua genitus „est



quam auctorem *Epistolae ad Hebraeos* Iesum Christum filium dei dicere, atque a deo genitum esse affirmare, quod a deo constitutus Pontifex noster, et servator sit. Immo ipse Iesus Christus rationem, quare filius dei sit, non aliam affert, quam eandem hanc, de qua hactenus verbis virorum *ἑρπενέτων* exposuimus. Ille enim apud *Ioan. X.* 34 f. Iudaeis, qui blasphemiae eum accusauerant, quod ipse se, qui homo esset, deum fecerit, respondet ista: „Nonne in lege vestra scriptum est; dixi ego deos vos esse. Si igitur illos dixit deos, ad quos sermo is dei pertinet; neque potest conuelli, quod scriptum est: vos quid audetis dicere me, quem pater sanctificauit, atque ad homines ablegauit, blasphemare, quod filium dei me dixi? „ Christus igitur esse se *filium dei* affirmat; quod pater sanctificauerit eum, atque cum auctoritate summa ad homines miserit. Illud sanctificare autem quale tandem erit? Nimis certe cum Socino extenuat *Hugo Grotius*; in Annotatt. ad *Hebr. II.* 11. scribens: „Christus nos sanctos facit doctrina sua et exemplo. Ille ex Spiritu Sancto conceptus est, et nos per Spiritum Sanctum nouam adipiscimur naturam; ita communem habemus originem. „ *b)* Quamquam enim miraculosa illa, et per Spiritum Sancti omnipotentiam effecta Christi hominis in utero Mariae virginis generatio ad sanctificationem Iesu Christi, dignitatemque filii dei omnino pertineat; quod ex *Luc. I.* 35. manifestum est: tamen ea re sanctificatio Iesu

Christi est Filius; sic non inuenio originis ipsius principio, sicut neque dei. „ Aliter sane veritiores, etsi, aequae ut *Origenes*, Platonici. Nam *Iustinus Martyr.* Dial. c. Tryph. p. m. 333. ed. Lond. *Szyan. Thirib.* et *Clemens Alexandr.* Paedag. I. 6. p. m. 113. ed. Oxon. *Io. Porteri*, verba ista ex *1. p. II.* 7. ad baptisima Christi referunt. Ad hoc ii omnes, qui ante *Origenem* vixerunt, etsi τὸν λόγον esse aeternum faterentur; quum deus aeternum λογικός sit: tamen generationem, quam excogitauerant, τὴν λόγον, quem inde Filium appellabant, non audebant dicere factam ab aeterno esse. Potes deum supremum, et ἀγέννητον, quum creare iam mundum vellet, genuisse ex se decernebant τὸν λόγον, tamquam πρῶτον γέννημα, et numero a se diuersum. Vid. *Iustin Mart.* Dial. c. Tryph. p. m. 266. p. 270. p. 414. *Arbenag.* Legat. pro Christian. c. 10. p. m. 286 sq. ed. *Prud. Maran.* item *Tatian.* Orat. ad Graec. c. 7. p. m. 20 sq. ed. Oxon. *Willb. Worth.* porro *Theophil.* ad Autol. L. II. c. 14. p. m. 118 ed. *Wolf.* denique *Clem. Alexandr.* Strom. Lib. V. p. m: 654. Lib. VII. p. 332.

- b)* Nimis ieiungit etiam *Philippus a Limborch*, Commentar. ad *Hebr. II.* 11. p. m. 558 ed. *Roterod.* „Christus est, qui fideles sanctificat: Ego me pro ipsis sanctifico, inquit *Ioan. XVII.* 19. ut et ipsi sint sanctificati in veritate. Illi autem ex vno omnes, sc. Patre Deo, cuius spiritu sunt regeneriti. Tam itaque Christus, quam credentes in eum, ex vno sunt. Deus Pater Christum sanctificauit, et in mundum misit, ut esset promissus ille rex Israelis, et suus Filius, ut ipse ait *Ioan. X.* 36. Iesus ita sanctificatus homines sanctificat in veritate, per verbum suum ac spiritum regenerat, ut sint filii Dei. „ Quae supra contra *Grotium* disputo, valent suo modo contra *Limborchium* quoque.



Christi, dignitasque summa filii dei minime absoluitur. Ad hoc, ut Iesus Christus cum natura a vitio, quod posteri Adami omnes ipsa generatione a parentibus contrahimus, plane immuni nasceretur, necesse erat; ut miraculose, per omnipotentiam Spiritus Sancti, e virgine virum non experta, generaretur. Sed hoc ad sanctificationem filii dei, qui sanctificare homines, cum vitio naturae natos, debebat, satis haud erat. Ad hoc efficiendum requirebatur insuper, ut deus ipse cum homine hoc, a communi, et a parentibus generis nostri per ipsam generationem ad posterum propagata naturae labe prorsus vacuo ac puro, realiter, vti loqui theologii in scholis satis apte solent, se vniret.

De ea *vnione reali* dei cum homine Iesu Christo, quae opponitur *vnioni morali*, qua deus vnitur cum filiis suis cæteris, qui fratres Iesu Christi sunt et dicuntur, copiosius ut exponamus, locus hic non patitur. Monemus igitur paucis verbis propter vnionem eam realem dei cum homine Iesu Christo dici *sapientiam hypostaticam*, quae deus est, (*τὸν λόγον*) *hominem induisse*, a Ioanne, in Euang. I, 14.; *deum in homine apparuisse*, a Paulo, 1 Tim. III, 16.; ipsum Christum vero, ab eodem Paulo, qui 1 Tim. II, 5. *hominem* vocat, *deum summum* appellari Rom. IX, 5.; *imaginem dei*, 2 Cor. IV, 4. *imaginem dei inuisibilis*, Coloss. I, 15. *splendorem maiestatis dei*, et quasi *formam quamdam expressam essentiae eius*, Hebr. I, 3. Item *vnigenitum filium dei, qui est in sinu ac complexu patris*, Ioan. I, 14. 18. *filium dei vnice dilectum*, Matth. III, 17. XII, 18. XVII, 5. Marc. I, 11. IX, 7. Luc. III, 22. Nimirum Iesus Christus, etsi fratres multos habeat, de quibus mox videbimus, est tamen vnicus, vniceque dilectus filius dei: quia, praeter eum, neminem mortalium deus tam excellentem, fortemque humanam egredientem in modum sanctificauit, sublimauitque; ut se cum eo realiter vniret; per eumque homines reliquos sanctificaret, et filios dei faceret.

Homines enim cæteri omnes a parentibus nostris cum natura generati, culpa auctorum generis nostri vitata, atque obnoxia cupiditatibus prauis, debemus, ut filii dei sumus, denuo generari a deo, et sanctificari. „Nisi quis, „ait seruator noster, *Ioan. III, 5. 6.*, denuo nascatur ex aqua et spiritu, non „potest ius ciuitatis in regno diuino obtinere. Cum natura deprauata nascitur, „quicumque ex hominibus labe naturali aspersis nascitur. „ Ita renati, et sanctificati, iure gaudent filiorum dei; atque iure hoc fruuntur per vnionem cum deo moralem. Hanc in sententiam legimus 1 *Ioan. III 9.* „Quicumque „ex deo natus est, non peccat. „ Et IV, 16.: „Qui studet amori (amoris „antem studium legis totius summa est, *Rom. XIII, 10.*), manet in deo; et „deus in ipso manet. „ Planum est neminem esse, aut dici filium dei, vniri que cum deo moraliter posse; nisi a deo denuo generetur, et sanctificetur.

Ea

Ea autem filiorum dei regeneratio et sanctificatio fit per correctionem intellectus et voluntatis, purgationemque a peccatis. Inde ἀγιόζην, sanctificare, et καθάρζειν ἀπὸ πάντων ἀμαρτιῶν, purgare ab omni peccato; item ἀγιασμός, sanctificatio, et καθάρσιμος τῶν ἀμαρτιῶν, purgatio a peccatis, ad significandam rem eandem in libris sacris Novi Testamenti promiscue adhibentur D. Sic *Hebr. X, 29. XIII, 12. sanctificari* dicimur sanguine Christi: sed i *Ioan. I, 7. et 9. purgari a peccatis*. Porro i *Cor. I, 30. legimus Christum Iesum factum nobis a deo esse sanctificationem*; qui Iesus Christus, filius dei, *Hebr. I, 3. dicitur fecisse purgationem nostram a peccatis per se ipsum*. Vid. etiam *Ephes. V, 16. et Hebr. IX, 13. 14.*

Nimirum haec sanctificatio nostra et purgatio a peccatis fit per Iesum Christum: vnde in loco illo, *Hebr. II, 11*, cuius illustrandi causa haec scribimus, ipse ὁ ἀγιόζων appellatur, qui sanctificat. Atque eam ob causam vocatur ille Pontifex Maximus Novi Testamenti, cuius typus Pontifex Maximus Veteris Testamenti fuerat; atque dicitur populum sanctificare. sive purgare sanguine suo. Vt *Hebr. XIII, 11. 12.* „Quorum animalium sanguis expiationis causa in sancta per Pontificem Maximum infertur, eorum corpora comburuntur extra castra. Atque eam ob causam Iesus etiam, qui sanctificaret populum sanguine suo, extra portam mortem perpeffus est. „ Quod hic sanctificare populum, dicit Paulus purgare populum ad *Tit. II, 14.* „Iesus Christus obtulit se nostra causa, vt liberaret nos ab omni peccato; purgaretque ipse sibi populum recte factorum studiosum. „

Per sanctificationem et purgationem a peccatis, quae fit sanguine Iesu Christi, „regenerat nos deus ad spem aeternam, <sup>k)</sup> ad possessionem stabilem, sanctam, „atque perennem; referuatam nobis in caelis, „ i *Petr. I, 3. 4.* Nam, „qui filii dei sumus, ἀληθινός, etiam dei sumus, συγκληρονόμοι vero Christi, „ *Rom. VIII, 17.* Nimirum Christus etiam a deo genitus est ad beatitudinem et gloriam summam; quam ideo suam, τὴν δόξαν αὐτῶν, vocat, *Luc. XXIV, 26.* Beatitudo vero et gloria, ad quam Christus euectus a deo est, modum humanum excedit; estque tanta, quanta mortalium, praeter eum, nemini siue destinata a deo est, siue sperare licet. Vult tamen deus ad beatitudinem gloriamque similem perducere per Christum eos, qui ad ius filiorum dei per ipsum perueniunt: vnde salutis eorum auctor dicitur. Vid. i *Ioan. III, 1. 2. Hebr. II, 10.*

Vti autem deus Iesum Christum beatitudine illa gloriaque summa post perfectionem malorum physicorum plurimorum, atque insignium decorauit, *Luc.*

δ) Hebraeorum שְׁרָפָה *si* ὁ interpretantur non solum ἀγιόζην, sed καθάρζειν quoque. <sup>k)</sup> εἰς ἐλπὶδα ζώσαν. Hebraeorum שְׁרָפָה *si* ὁ vertunt non solum ζῶν, sed etiam ἀέθ. *יוֹנָה*.

*Luc. XXIV, 26. Hebr. II, 9:* sic filius quoque caeteris ita vult beatitudinem gloriamque similem impertire; si mala physica, quae post commissam a generis nostri parentibus culpam vitari nequeunt, similiter, atque Iesus Christus, ferunt, *Rom. VIII, 17.* Facit enim malorum physicorum perpeſſio moderata et constans permul-tum ad sanctificationem nostram, sine qua haud possumus dominum videre, *Hebr. XII, 14.* *1 Ioan. III, 2. 3.* Nimirum dediscit pescare, qui discit mala physica modeste ferre, *1 Petr. IV, 1. 2.* Eum scilicet in modum; vt fiducia Christi robo-ratus, magis magisque corrigi se malorum istorum sensu, tamquam castigatione aliqua paterna, atque sic sanctificari a deo patiatur, *Hebr. XII, 10. 11.* Ad hoc vero quum necesse sit, vt Iesum respiciamus, auctorem statoremque fidei nostrae, *Hebr. XII, 2:* sentiemus iam vim eximiam verborum, quae superius ad-feribebamus, *Hebr. II, 10.* „decebat eum, a quo sunt omnia, et in cuius po-„testate sunt omnia, quum vellet filios multos beatos facere, auctorem salutis „eorum post perpeſſionem rerum aduersarum in statu amplissimo beatissimo-„que collocare. „

Videbimus itidem, quam apte cum his cohaerent, quae sequuntur, et quae declaranda maxime ſcriptione hac nobis sumimus: „Nimirum qui „sanctificat, et qui sanctificantur, ab vno omnes sunt. Quam ob causam „neque erubescit fratres appellare eos. „ Nam si Christus, qui sanctificat, at-que illi, qui sanctificantur, ab vno omnes sunt; ab eo nimirum, a quo sunt omnia, et in cuius potestate sunt omnia: mirum videri non debebit, noluisse deum Christum, qui sanctificat, nisi post perpeſſionem malorum physicorum mul-torum atque insignium beatitudine et gloria summa decorare. Immo sentiemus sic omnino decuisse eum; si cogitare velimus malorum physicorum sensum plane pertinere ad sanctificandorum purgationem a peccatis. Ita enim „debuerit ille „per omnia fratrum similis esse, quo gratiosus esset, et fidus sacerdos summus „in omnibus, quae deus mandauerat ipsi ad expianda peccata populi, „ i. e. ad populum sanctificandum. Nam *ἱεράρχης*, quod h. I. in textu Graeco legitur, item *ἀρχιεπίσκοπος*, et *καθολικός*, respondent vni Hebraicae voci *רִבְּבִי*.

Caeterum quo modo ab vno deo sint, et qui sanctificat, et qui sanctifican-tur, omnes, in antecedentibus diximus. Iesus Christus, filius dei, qui sancti-ficat, et filii caeteri, qui sanctificantur, quidquid sunt, a deo sunt. Iesum Chri-stum hominem miraculose in vtero matris virginis formauit deus, cum eoque realiter se vniuit, atque sic immensum in modum sanctificauit, quo sanctificari per eum filii caeteri possent. Deus item Iesum Christum hunc ad statum supra modum humanum amplissimum beatissimumque euexit; sed post perpeſſio-nem

nem tandem malorum physicorum et plurimorum, et ingentium; quo hac etiam ex parte Pontificem Maximum auctoremque salutis fratrum suorum cum faceret. Filii caeteri etsi per Christum sint ac habeant, quidquid sunt et habent: tamen cuncta in ipsos proficiuntur a deo: qui Christum Pontificem ipsis Maximum, auctoremque salutis constituit; per quem, ut vnitus cum eo realiter, illos sanctificat, illisque, cum quibus, itidem per Christum, moraliter se vnit, ius filiorum, atque, post perpeffa fortiter mala physica, beatitudinem gloriamque aeternam confert, ut superius vidimus.

Denique uti Christus, qui sanctificat, et filii reliqui, qui sanctificantur, ab vno omnes sunt: ita Christus, quod ex dictis haecenus clarissime apparet, fratribus suis per omnia longissime antecellit. Inde non solum *filius dei vnigenitus*, et *dilectus*; sed *primogenitus* etiam *Hebr. 1, 6*, item *primogenitus totius creaturae nouae Colass. 1, 15*. et *primogenitus inter fratres multos*, *Rom. VIII, 29* dicitur. *Primogenitus totius creaturae nouae*; non, quod ipse creaturae nouae pars sit: quippe per quem <sup>omnia</sup> ea omnia condidit, *Ephes. III, 9, 11, 10*. Colass. 1, 16: sed quod ipse *iure primogeniti* in ea dei familia per omnia tenet. Vti enim primogeniti proxima post patrem in familia dignitas et potestas erat: ita Christum constituit deus caput fratrum suorum, ecclesiae, *Ephes. I, 22*. Primogenitus duplicem haereditatis paternae partem accipiebat, *Denter. XXI, 17*: Iesum Christum scimus ad beatitudinem gloriamque tantam euectum esse; ut ad dexteram dei patris confederit, <sup>m</sup> salutisque fratrum auctor ac factor constitutus a deo sit. Atque hanc ob causam *Paulus* scribit, *Colass. I, 17*, eum antecellere omnibus (*αὐτός ἐστι πρὸ πάντων*); atque *segm. 18*, eum per omnia principatum tenere (*ὅσα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτός προαρείων*): nimirum ut primogenitum totius creaturae nouae, fratrumque multorum.

Apparebit iam, quare in loco, de quo haecenus maxime disputauimus, post verba; „qui sanctificat, et qui sanctificantur, ab vno omnes sunt;“, addentur ista, „qua de causa neque erubescit fratres appellare eos.“ Recte *Hugo Grotius* ad h. l. „Bene dicitur, *non erubescit*, de eo, qui maior minoribus se so-  
ciat.“ In eandem sententiam alii quoque: sed nemo plene satis. Iesus Christus frater, idem etiam dominus filiorum dei reliquorum, probe intelligebat se  
mis

l) De iure primogeniturae vid. *Io. Gottl. Carprouii* Appar. Hist. Crit. Antiquit. S. Cod. et Gent. Hebr. p. 4 sq.

m) Phrasin, *sedere ad dexteram*, illustrant *Campeg. Vitringa*, Obseruat. Sacr. Lib. II. Capp. IV. et V. p. m. 285 sqq. ed. Franega.

missum a deo esse, ut per ipsum sanctificarentur homines caeteri; omnia vero, quaecumque habeat, a deo habere. Hoc aperte profitetur *Ioan. XVII, 1-23*. Itaque agnoscebat etiam, quaecumque per eum in homines deriuarentur, ab vno fonte et capite, deo, fluere omnia. Hinc *Ioan. XX, 17*, per Mariam Magdalenam discipulis suis, quos fratres nominat, nunciare iubet: „Ascendo ad patrem meum et vestrum; ad deum meum, eundemque vestrum deum.“ Qui igitur haec omnia nouit; neque ignorat, si ipse arrogare sibi aliquid velit, quod non tribuerit pater, vanum fore, *Ioan. VIII, 54*; qui denique ita amat eos, qui sanctificari per ipsum se patiuntur, ut vitam etiam pro salute ipsorum profundat, *Ioan. X, 11. 15. XV, 13*: is sane nequit *erubescere* fratres appellare eos, quorum primogenitum deus ipsum constituit; atque ad hoc, tanquam primogenitum, voluit filiis caeteris omnibus longissime antecellere, ut per eum reliqui colligerentur, *Ioan. XI, 52*, sanctificarentur, *Hebr. XIII, 12*, atque sic saluati ad patrem caelestem perducerentur, *Hebr. VII, 25*.

Primogeniti huius filiorum dei sacra <sup>mitia</sup>, Cives Carissimi, obire his diebus ecclesia solet: nosque Vos <sup>sancte</sup>, religiose illa cum ecclesia celebretis. Natus is est, ut sanctificarentur per illum homines caeteri; atque in eos ius filiorum dei deriuaretur. Per deum igitur, qui misit hunc filium suum primogenitum, ut per eum seruaremur; per seruatorem hunc diuinum, qui amore erga nos incredibili ardens, sanguinem pro nobis profudit; per vestram denique ipsorum salutem oramus, vel obtestamur potius; abiciite leuitatem animi omnem, atque deponite; Vosque ipsi respicite, atque illud, ad quod nati estis, cogitate! Vel ipse stimulus ille, qui Vos ad appetendam vitam beatam et sempiternam naturaliter impellit; atque taedio doloris et interitus implet: is ipse naturae humanae stimulus docebit Vos, si aduertere animum velitis, non posse ad ludum iocumque factos esse. Eam beatitudinem vero, quam omnes naturaliter appetimus, qua ratione consequamur, natura, qualis nunc est, non edocet. Nam voluptatem eam, quam sensus accipiens iucunditate quadam perfunditur, et ad quam trahit nos naturalis inclinatio, non satis esse dignam hominis praesentia, intelligetis certissime; si naturam eius paullo diligentius attendatis. Falsa, caeduca, vana futillsque est. Inter fruendum taedium parit: post se autem poenitentiam, pudorem, dolorem relinquit. Animum hominis immortalis ex-  
plere nequit. Sapienter *Ioannes*, Epistolae suae prioris Cap. II, segm. 17, „Fluit saeculum hoc, scribit, cum libidinum illecebris suis: qui autem voluntati diuinae obtemperat, statum suum aeternum retinet.“ Voluntati diuinae

B 2

\*) μένει, ἔσται, ἰσχύει.

inae porro obtemperare, statumque aeternum stabilem et firmum consequi nemo valet; nisi ius filiorum dei per Christum impetrauerit. Hoc impetrant omnes, qui fidem Christo habent, *Ioan. I, 12*; atque sanctificari ab ipso, sine purgari se sinunt a conscientia male factorum, ad seruiendum deo vero, *Hebr. IX, 14*. Ad hunc Iesum Christum igitur Vos etiam, Ciues Carissimi, accedite per hos in primis dies; qui natiuitatis eius memoriae sacri sunt: atque sedulo cogitate beneficii diei eius magnitudinem; quo deus filium suum nasci fecit, vt per eum ius filiorum consecuti, *κληρονόμοι Θεῶν*, et *συγκληρονόμοι* Christi, qui ideo non erubescit fratres nos appellare, efficeremur. Esti vero status ille beatus, qui filios dei manet, magnam partem adhuc in occulto lateat; scimus tamen, si olim ad eum translati fuerimus, similes fratris nostri primogeniti futuros esse. Atque hanc spem si habetis, Ciues Optimi; purgate animos Vestros ab omni iniquitate. Ipse enim sanctus est: neque profani, aut impuri quid in beatitudinis suae societatem admittit. P. P. a. d. XXIV. m. Decembr. a. Chr. n. cō Io cc LXXIII.



Fe 4194




Rehov









70

SACRA NATALITIA  
DOMINI NOSTRI  
IESV CHRISTI  
RELIGIOSE CELEBRANDA  
FRIDERICIANAE PRORECTOR  
D. IOANNES AVGVSTVS NOESSELT

S. THEOLOGIAE P. P. O.

VNA CVM

DIRECTORE ET SENATV  
ACADEMIAE CIVIBVS  
INDICIT.

---

*Praemittitur de Eo, qui sanctificat, illisque, qui sanctificantur, ab vno  
omnibus, ad Hebr. II, II., dissertatio.*

---

HALAE AD SALAM

TYPIS L. C. HENDEL  
MDCCLXXIII.